

DE ETRUSCORUM CULTU MORIBUS ET LEGIBUS EORUMQUE APUD ROMANOS VESTIGIIS

ORATIO

IN THEATRO SHELDONIANO HABITA

DIE JUNII XV MDCCCXLI

OXONII

FRANCISCUS MACPHERSON

1841

DE ETRUSCORUM CULTU MORIBUS ET LEGIBUS EORUMQUE APUD ROMANOS VESTIGIIS.

REM sane nobilissimam aggressi, de Etruscorum institutis fortunisque dicturi, veremur ne majestati operis et scriptoris ars et materia ipsa deesse videatur. Nam ea quæ de Etruscis accepimus a Romanis corrupta atque depravata sunt, quibus etiam ipsis interesset non tradere. Quæ vero investigatio veri esset, cum literæ Etruscæ, fons omnis historiæ, a Romanis negligerentur? aut quæ custodia fidelis rerum gestarum, cum dubia tantum fama in ore hominum volitaret? Latet quidem origo populi obscuritate involuta naturæ: quæ ad unum elementa confluxerint, vel in quas partes una gens divisa atque discerpta sit, frustra requiras; hominum, eventuum, etiam urbium memoria, tanquam in mortuorum sepulchris demersa conquiescit. Manent tamen instituta civitatis, altius impressa atque inveterata, quæ ad regulam quandam et certam mensuram exigere possumus; manent artium monumenta, quæ non Romanorum cupiditas, non Italiæ vastatio et prope sempiterna bella spoliârunt; manet ea pars reipublicæ, quæ ad Romanos translata, perpetuâque serie continuata ad finem usque imperii duravit.

Etenim si sparsa rerum fragmenta colligere et quasi

civitatis columnam exstruere velimus, in eo est enitendum, ut quam commenta recentiorum rebus illis noctem offuderint, primum dispellamus. Nam quæ a majoribus accepissent paullatim posteri depravare; luxuriare nimis vividum illud poetarum ingenium; successêre historici, qui incredibilia, scilicet, ad veritatis normam resecabant, in ceteris poetarum fidem secuti. Multa sunt igitur per figuras expressa, multa quoque pro gentis indole ac situ locorum adumbrata, eaque singulis attributa, quæ universi essent populi, cum* vel urbes conditas, vel colonias deductas, vel civitates immutatas significarent. Quæ tamen omnia ad Deos auctores relata, mox errore perpetuo consecrabant Quid? si ferocissima gens humanum atque inermem populum obruerit, si linguam, religionem, rerum gestarum memoriam in uno quasi gurgite miscuerit, quanta esset annalium confusio, quæ perturbatio temporum futura! Quod cum in Græcis urbibus et in tantâ antiquitatis luce acciderit, tum multo magis in Etruscis expectandum erat, quibus raræ per ea tempora litteræ essent, etiam ipsa gentis annalia penitus interierint.

Neque vero ea omnia pro falsis habenda sunt, sed potius veri aliquid ex omnibus eruendum. Aliud est historiam scribere, aliud historiæ fidem labefactare. Ipsi quoque poetæ in iis, quæ depinxerunt, regulam quandam secuti sunt, nec minor igitur Virgilio, ob exquisitam eruditionem, quam Homero propter antiquitatem fides est tribuenda. Quid? si urbium origines, si eventus singulos haud licet accuratè effingere; at instituta et mores hominum certè licet, quæ et maxima pars historiæ est, et ad agnitionem, omnium pulcherrima. Quid

* Cf. Nieb. Rom. His. Vol. I. p. 25. Clin. Fast. Hell. Vol. I. c. i.

enim magnificentius, quam informes rerum umbras prope ab infinitate repetere; paullatim acrius intuendo, magis magisque discriminare; quæ dubia firmare, quæ sparsa colligere, quæ imperfecta supplere, dum omnia rite locis suis reddita solidam et expressam civitatis effigiem ante oculos proponant.

Et cum origines proximaque originibus, recentioribus illis tanquam e longinquo lucem afferant, prima nobis erit investigatio, unde orta sit gens Etrusca, quam habuerit cum vicinis cognationem. Gravis sanè quæstio, quæ nec omnino omittenda, nec altius perscrutanda est. Ut enim physici est res magis ipsas, quam primas rerum causas ostendere, sic historicum non origines rerumpublicarum explicare, verum priscâ jam obscuritate evolutas excipere decet; maturiorem nempe gentis ætatem, legum et morum mutationes, magnorum virorum ingenia, et quasi adulta civitatis robora contemplari.

Jam Etruscos e Lydiâ derivari universa prope antiquitatis consensio, inde usque ab Herodoti temporibus testimoniis satis amplis confirmat. Qui quidem a Romanis Etrusci, a Græcis Tyrseni, a se ipsis vero Rasenna appellati, aut Pelasgica gens fuere, aut certè cum Pelasgis, qui tum ea tenebant loca, cognationem aliquam habebant. *Vetus fama ferebat advenas quosdam ad meridionalem Etruriæ angulum appulisse, exinde Umbris expulsis occupâsse urbibus duodenis terras, prius cis Apenninum ad inferum mare, postea trans Apenninum totidem, quot capita originis essent, coloniis missis, novam multitudinem usque ad Alpes promanâsse. At teste Dionysio, Lydos nulla unquam navalium rerum gloria insignibat; at iidem linguâ, moribus et institutis,

* Liv. V. 33.

ab Etruscis longissimè abhorruerunt; ipsa denique migratio a Xantho historico Lydorum antiquissimo silentio prætermissa est. Minimè tamen explorare velim, annon dubia quædam similitudinum vestigia etiam in iis quæ supersunt monumentis deprehendenda sint: †tum multo minus Caras an Lydos hæc ipsa fabula respiciat. Nunquam enim illa vetustatis fama loci aut temporis angustiis definienda est, verum longè latèque vagari solet. Satis enim constat, nihil aliud in animo habuisse veteres, nisi ab oriente Etruscos derivari; ex his fontibus profluxisse artium gloriam, civitatis instituta; omnem illam humanarum divinarumque rerum scientiam, quæ Græco Etruscoque nomini perenne propriumque decus indiderunt. Jam, quod coloniam illam Lydorum, alii ad Tyrsenum Herculis filium, alii more Græcorum ad Telephum et Trojani belli tempora referebant, in eo perspicuum est Pelasgicam Etruscorum stirpem designari: sic duas gentes diversissimas maximèque disjunctas, coloniæ vinculo tanquam notâ cognationis continebant.

*Sunt autem qui aliam ingressi viam, cur ab Egypto venissent, gravissima proferunt argumenta; qui non incertam antiquorum fidem respicere sed ipsas monumentorum relliquias oculis jubent perscrutari. Quem enim in statuis, in cloacis arcuatis, in mirificâ ædificiorum mole Egyptum non agnoscere? in sepulchris autem vel maximè, quibus omnia tanquam arcana fideliter commissa, quæ ritus funereos, quæ figuras biformes, pleraque et futuræ vitæ et presentis mysteria in parietibus habeant expressa. Eadem ubique hominis facies, idem

† V. Micali Storia della Ant. Pop. Ital.

* V. Herod. Baehr. Excur. ad. I. 94.

habitus, eadem vestimenta quæ in Canopi monumentis reperiuntur. Accedit eo quod in duobus populis penes paucos civitatis esset administratio, idemque ordo, qui populo præesset, sacerdotio quodam fungeretur. Sed ut illa superiora maritimo Etruscorum imperio tribuenda sunt, qui, cum mercatores essent, artes Græcas atque Ægyptiacas primo inferrent, post etiam ipsi imitarentur; sic hæc posteriora, non unius populi aut temporis fuêre, sed omnium ætatum et orientis universi. Neque vero ea, quæ de Ægypto dicuntur, aut affirmare aut refellere in animo est: potius omnia complecti velim, quam in unâ quâdam parte defendendâ, minutias nimis subtiliter exsequi.

*Tertia restat opinio eorum, qui Tyrsenos ab Etruscorum nomine separatos cum Pelasgis arctius sociant. Etruscorum tamen parentes Rhætos esse volunt qui, cum ex Alpibus demissi inopem et jacentem populum obruissent, linguam mores et instituta victores a victis acceperint. Testis, ut aiunt, Livius qui cum Rhætos potius ab Etruscis, Gallico tumultu in montes pulsis, quam Etruscos a Rhætis derivaret, in errorem eum incidisse manifestum arguunt; quasi demum verisimile esset Etruscos jam luxuriâ enervatos, gentem illam e montibus expulisse, quorum propinquos mænibus tecti sustinere non poterant. Eodem igitur modo, quo a Græciâ ante Hellenas, sic ab Italiâ Rhæti Pelasgos pepulerunt: uterque populus armis quam artibus præclarior, cum Pelasgos partim ejecissent, partim in servitutem redegissent, postremo cum victis coalescebat. Fuerit aliqua fortasse duarum gentium pervetusta conjunctio: credibile est Rhætos æquè ac Hellenas, ex Pelasgico fonte ortos, in

* V. Nieb. Vol. I, p. 107. §.

Pelasgicam sedem referri; quos tamen loca ipsa efferássent, ut ne sonum quidem linguæ incorruptum retinerent. Neque minus adjuvabat eos Italiæ perturbatio, quæ cum ingenti advenarum diluvio pæne ipsa fluctuabat.

Sed quoniam in interminato campo versamur et in quem intendens et projiciens se animus, nullam tamen oram videat (cum linguæ Etruscæ pauca tantum vestigia supersint, de quibus tamen ipsis summâ apud doctos contentione certatur, monumenta vero quæ sint Etruscorum, ne ullâ quidem notâ discerni possunt) ad ea potius inquirenda festinemus, quæ vita, qui mores fuerint, quibus vel legibus, vel institutis eo usque creverint Etruscorum opes, ut de Italiæ sive orbis imperio, tot annos cum principe terrarum populo decertarent; qualis denique illa cum Romanis societas, quæ ritus ceremoniasque amborum in unum miscuerit, libertatem Romanæ plebis jam nascentem oppresserit, rempublicam penitus labefactaverit.

Et quoniam a Deorum reverentiâ pendet omnis civitas, maximeque in eâ gente, quæ, cum arte colendi Deos excelleret, præ ceteris relligioni dedita fuit, primum quisnam ordo Deorum, quive sacrorum fuerint ritus, inquirendum. Semper enim Etruscorum respublica arctissimo relligionis vinculo colligata fuit; hæc propinquos, hæc cives conjunxit; hæc duodecim inter se populos consociavit; etiam hoc artium scientiæque fundamentum, fons omnis publici privatique juris. Erat enim omnis quasi Deorum civitas, in quâ qui auspicia haberent rem gererent, nec aliud esset principibus repugnare quam bellari cum Diis. Nam ut apud Gallos Druidæ, apud Babylonios Chaldæi summâ rerum potiti sunt, sic Etruscorum Lucumones sive sacerdotes domi forisque imperium obtinuerunt. Qui quidem ordo sive genere, sive gradi-

bus tantum distinctus, sacrosanctam certè potestatem exercebat, omnique Deorum immortalium majestate vestitam. Quibus igitur instrumentis aptati hanc tantam sibi vim et dignitatem assecuti sunt? Primum quidem illam non in mentibus nostris inscriptam, sed innatam Dei notionem sedulo foverunt: manebant priscæ quædam fidei vestigia, quæ si non expressam Dei imaginem, at certè adumbratam revelabant. Accedebat eo vitæ ratio pura simplexque, tum loci quoque relligio. Quid enim cœli illius serenitas, quid patris Apennini majestas, quid utriusque maris immensitas, præter Dei naturam puram, verendam, infinitam ante oculos hominum proponeret? Aptissima sunt omnino arma civitatis regendæ rituum ceremoniarumque instituta, quæ primo quidem, e simplice Dei metu profecta, mox etiam ad rempublicam firmandam, mirificam habent vim. Multa igitur a sacerdotibus utiliter inventa; invicem quæ invenissent ab inventoribus ipsis credita, quorum vaticinia se ipsa explerent, cum ejusdem esset ordinis et civitatem administrare et fata civitatis præmonere. Jam illa pristina libertas oppressa atque restincta fuit: superstitio tetra animos hominum invaserat, quæ non tam nervos civitatis debilitavit, quam vires omnium in se ipsa collegit. Adeo fuit admirabilis quædam partium conformatio, ut alia ex aliis nexa omniaque in hoc unum apte colligata viderentur. Quæ cum divinarum rerum sollertia ad Romanos defluxerit, in eo tamen ab Etruscis distabant, quòd flamines sacerdotesque, licet cum patriciis origine studiisque connexi, separatum tamen in republicâ ordinem effecerunt. Fuit illa reverà Etruscorum relligio, quasi anima quædam per humanarum rerum molem infusa, quæ omnes animorum motus replicatione quâdam regeret

stimularetque, sine quâ nec vigor esset in republicâ gerendâ, nec vita omnino, quæ humanam mentem ad magnum aliquid impelleret.

Difficile est omnia enumerare quæ ad hanc vel ad illam relligionis formam incertos populi animos incitaverint. Verum ut relligio ad mores et instituta hominum, ad varium civitatis statum informatur, sic eadem artium studia, rerum publicarum vicissitudines probè ostendit. Quæ primo quidem, ut inter agrestes rudi simplicitatis origine imbuta, mox usu diuturno, vel superstitionibus peregrè immissis, impeditior paullatim fieri cœpit. Jam qualis apud Italiæ populos priscus ille fuerit Deorum cultus, ex Sabinorum ritibus augurari licet: qui quo primum loco quirin defixissent, summâ hanc reverentiâ adorabant. Omnis illa veterum Etruscorum relligio agriculturam spectabat: Janum agris, Saturnum cultoribus præficiebant, montem, fluvium, vallemque omnem infinito Deorum numero consecrabant. Quis enim in fulgure, in terræ motibus, in maris tempestatibus non præsentem Deum audiret agnosceretque? quæ numinum vestigia, si nulla omnino fuisset relligio, tamen per se ipse animus hominum reformidaret. Hinc avium volantium strepitantiumque omina, hinc mos pullos consultandi, hinc omnis auguralis illa, quæ ad Romanos permanavit disciplina. Verum ubi civitas, quam Græci vocant, instituta esset, variique ordines certis gradibus distincti; relligio vero omnis in eorum esset manibus, penes quos imperium, cum his armis ad regendos populi animos optimates uterentur, quanta esset rituum scientia, quam incredibilis rerum verborumque subtilitas futura, præsertim animis hominum in hoc unum conversis! Mox Janum rerum omnium principium et fontem appellabant; Saturno cæcam quandam vim et naturam tribue-

bant; omnia a luce in tenebras, a rebus ipsis in species rerum mutata. Multa quoque ab Ægypto et Oriente derivata: quæ quidem a sacerdotibus tanquam arcani disciplinâ summâ fide conservata. Constat enim in duas partes relligionem suam Etruscos divisisse, alteram quæ in luce oculisque hominum versaretur, quæ habitaret cum iis, domi forisque occurreret, alteram quæ a conspectu vulgi remota, tanquam in speculo cerneretur, densis occultata tenebris et circumfusa. Cum hæc vero infinitum Deorum numerum informaret, quos vulgus intellectu capere posset, illa unum æternumque et per omnia commeantem Deum revelabat. Nunquam enim illa vetus superstitio apertè se in lucem protulit, verum imagines quasdam potestatis ejus profudit quæ in rerum naturâ altius delitebat.

Nos vero prope sacrilegum rati illos numinis secessus violare, quos ipsi tenebris et caligine circumsepirent, ad inferiorem potius Deorum ordinem veniamus quos Complices sive Consentes appellabant. Quorum ut nomina, sic etiam cultus ad Romanos videtur permanâsse. Qui cum numero duodecim essent, sex mares, sex feminas effingebant, quasi omnium rerum animaliumque naturæ in duas partes discerperentur, qui tamen haberent aliquam communionem.* Duplex ea Deorum notio penitus in Romanorum sacris insedit atque inveteravit, qui Jovem Junonemque, Vertumnum Fortunamque, ceterosque geminatos Deos ab Etruriâ derivârunt. Qui Complices terrenum hunc orbem tanquam domicilium imperii administrabant, quorum motu elementa regerentur, animalia vitam et spiritum ducerent, a quibus omnium rerum natura penderet, et cum hinc orta esset,

* Muller. Etrus. III. 3.

huc reverteretur. Janus autem is erat, quem Etrusci cœlo præficerent, qui cardinem, qui decumanum in manu teneret converteretque:† idemque a Romanis translatus januæ præpositus est, quos verisimile sit ea quæ ab Etruscis accepissent cum Latinorum sacris immiscuisse. At Vertumnum "Deum Etruriæ principem" apud Romanos etiam in eodem habitum honore accepimus, cui gentes ambæ munus illud tribuerunt, ut anni tempestates regeret, rerumque omnium certo ordine circumageret mutationes. Statua ejus Romæ in Tusco vico locata; cultus Etruscus, etiam nomen a Romanis servatum.‡ Quid singula? Nam universus pœnè Deorum mundus ex Etruscorum cœlo descendebat. Hinc enim Saturnus, hinc Ceres, hinc Neptunus etiam: non illos dico Deos ipsos, sed nomina quædam, quorum tamen vim et naturam, non e vetere avorum usu, sed e Græcis fabulis Romani explicuerunt. Jovem autem, Junonem, Minervamque a Tarquinio Romam translatos etiam Romanorum annalia commemorant, quos more Etruscorum in unum confertos in Capitolio colebant. Jam aruspices et fabri ad ædificandum templum ab Etruriâ acciti: fana Sabinorum, quæ a Tatio rege jam in initio urbis vota essent, exaugurata. Hæc tria numina fuêre, quæ in omni Etruscorum oppido culta vinculo quodam relligionis inter se videntur contineri. Erat enim Jupiter terrestrium rerum columen, qui fulgura immitteret qui terræ motus tempestatesque. Ceteros Consentes Deos hujus concilium esse voluerunt, qui ut ipse in solio sedens, summum honorem gentis, sive rex, sive dictator is fuerit, adumbrabat, sic illi populos duodecim ad Voltumnæ fanum convocatos, imagine

† Muller. Etrus. III. 3, 5. ‡ Liv. VII. 3.

quâdam consecrabant divinitatis. At Jovi hostem acerrimum Vejovem esse fingebant, quem ut tetrum et impurum et abominandum Deum detestati, tanquam auctorem mali, sacrificiis tamen et ritibus conciliabant. Vestigia profecto orientalis philosophiæ, quæ duas naturas contrarias et inter se repugnantes in Deorum mundum intulit! Unde enim illa sempiterna rerum omnium contentio? unde tempestatum, terræ marisque concursus, unde mortis vitæque, boni malique, hominum Deique certamen? in quibus aut facere aut pati aliquid omnia videantur:—qui autem Deus, cum omnipotens esset, aut mali quidquam fieri aut boni non fieri concederet? Jam eadem ferè in Laribus Geniisque depingendis notio occurrit, *quorum alter, veste candidâ, benigno formosoque vultu functorum animos in Tartaro comiter excipit, alter aspectu tetro et quasi stimulis agitans terret castigatque: etiam in vitâ duo custodes dati, alter qui ad omne decus homines incitaret, alter qui alliceret ad turpitudinem. Itaque mundum ipsum, quasi in illo semina quædam mali inhærescerent, non ipsum Jovem creâsse arbitrabantur, sed ministro cuidam sive demiurgo hoc opus perficiendum demandâsse. Multa quoque non solum ab Oriente, verum ab Ægypto et Græciâ translata, cum Junonem Faleriis pænè Græco more et sollenni *κανηφόρων* pompâ colerent, quæ sive a Pelasgis orta sint, sive serius ut in populo maritimo illata, certè ex hoc fonte profluxerunt. Adeo Tarquinii Delphos legationem miserunt; Agyllæ cum iisdem societatem aliquam inierunt; unde etiam mos ille Delphos mittendi ab Etruscis in Romanos venit. Constat immò libros ipsos, qui in republicâ administrandâ tantam vim

* Micali Tabulæ, passim.

habuerint, licet, Etrusco rege, Romam allatos, fuisse tamen Græcis literis exscriptos.

Longior sim, si omnes Deorum formas enumerare velim, quas vulgi superstitio, quas sacerdotûm solertia excuderit, quæ aut ipso loco natæ sint, aut peregrè a mercatoribus immissæ. Verum altera restat relligionis pars, quæ Lares et Penates amplexa est, quæ cum horrendum quiddam et formidolosum haberet, altissimè hominum mentibus insedit. Jam infernum quendam Plutonem effingebant, Mantum appellabant; huic Tartari imperium, huic omnis mortuorum cura commissa. Effigies Mantus, facie quadratâ, fœdo monstrosoque vultu, dentibus exacutis, linguâ etiam per irrisionem exsertâ, reperitur jam nunc in Etruscorum sepulchris. Qui cum Maniâ inferorum Deâ dividebat imperium: ambo terribiles, tenebrosi, immisericordes Dii, et quibus memoraret fama puerum semel immolatum. Custodiebant hi Tartari januam, cujus cum ferrea claustra quotannis ternos dies aperirentur, manes hominum, hinc inde transibant quasi viâ per solitudinem factâ. Mundus huic Tartaro nomen: Romæ quoque in comitiis puteum sic appellatum ferunt, in quo, Catone teste, frugum pecudumque primitias sepeliebant. Animas autem hominum, cum e corpore evolâssent, in vastis inferorum cavernis credebant exspatiari; exinde qui de patriâ et Diis benè meriti essent, et quasi sordibus humanis animum purgâssent Larium naturam induere, contra impios sacrilegosve in abominanda quædam spectra mutari, quos Lemures appellabant. Hi quidem Lemures fuêre qui, cum vitam omnem in luctu degerent, detestati homines, naturam speciemque ferarum sibi præferrent. At Laribus illud munus tributum erat, ut animas hominum a Tartaro liberarent; hi suos usque comiter et benignè

respiciebant; mox ipsi si in obeundo officio fortiter se gessissent, in alterum divinitatis gradum elati, Genii creati sunt. Sic universa Deorum multitudo et celestium et inferorum gradibus inter se connexa, omniumque animantium naturæ pænè infinitâ serie continuatæ.

Veniamus ad aruspicum disciplinam, quam, cum a Romanis ex Etruriâ adhibita sit, ex illorum usu potius quam e libris Etruscis explicanda est. Jam sub Tarquinio rege, teste Livio, auguribus sacerdotio que augurum is honos accessit, ut nihil belli domique nisi auspicato gereretur. Decrevit postea senatus, ut de principum filiis, sex singulis Etruriæ populis traderentur in disciplinam. Quæ quidem disciplina in extorum cognitione, in fulgurum procuratione, in monstris portentisque explicandis maximè versabatur. Optimi auguris erat, avium strepitus volatusque interpretari, cur aliis a dextrâ, aliis a lævâ ratum esset auspicium; quid quâque cœli parte ostenta quæque significarent. Cœlum autem in XVI. partes diviserunt Etrusci: tam multiplex et pænè infinita fuit omnis illa divinarum rerum scientia. Quæ partim in opinione, partim in observatione diuturnâ posita, ut omnis fere Etruscorum relligio, rudem illam et agrestem originem summâ doctrinæ verborumque subtilitate celavit. Reputandum quot Dei figuras et similitudines longo tempore sollertia sacerdotum esset inventura, quæ divinæ mentis indicia; quæ primo quidem ore tradita, paullatim in commentarios relata, quotannis numero et difficultate crescebant. Nec minor in exstispicio cura fuit, quæ ex sacrificiorum ritibus orta quibusdam tamen inniti videtur physiologiæ radicibus. Verisimile est ut Romanorum augures sacerdotesque, sic Etruscorum aruspices in col-

legium fuisse sociatos, qui priscâ tamen ætate reipublicæ nusquam Romæ inventi sunt, semper vero ab Etruriâ acciti. Jam sub imperatoribus, aruspicum disciplina, cum a Chaldæis corrupta et depravata esset, in astrorum motu natalitiisque se exercebat: etiam cum purior Romanorum cultus nondum peregrinâ superstitione imbutus esset, scire difficillimum quid Etruscis, quid Sabinis, quid Græciæ denique tribuendum sit.

Si quis forte Etruscorum relligionem cum Græcâ comparare velit, multa similia, multa quoque diversa in iis inveniet. Erat enim altera ex poetarum commentis et héroum cultu nata; altera ab orientis fonte ducta et in naturæ posita contemplatione. Fuit hæc optimatium relligio, illa popularis; hæc artis, illa naturæ; hæc summas tantum rerum formas leviter attingebat, illa mundi mysteria et futuri ævi conditionem altius scrutabatur. Græcis autem, cum nullus esset sacerdotium ordo, qui ullo inter se vinculo tenerentur, Etruscorum Lucumones, non modo a ceteris separati erant, verum universam gentem auctoritate quâdam regebant divinâ. Ita cum relligio Græcorum ad depravandos potius mores viam præmuniret, quod ipsa quoque Deorum licentia peccandi licentiam hominibus concederet, Etruscorum contra superstitio juveniles animos informavit, inferorum metu teterrimique supplicii a flagitio deterruit.

Alia fuit opinio eorum, quæ numeris eam vim et naturam tribuebat, ut in iis divinum quiddam esse diceret. Res enim omnes certis temporum finibus describebant, quos dies appellabant, quorum alios hominibus, alios nationibus, alios universo hominum generi assignabant. Ut enim solem, lunam, stellas certo motu circumagi viderent, quorum alios latiorem, alios angustiorem gyrum conficere, ut dies mensem, menses an-

num, annos vero sæculum explere, sic in divinis humanisque rebus orbem quendam fieri putabant, qui gentium hominumque fortunas amplecteretur, summamque fatalem conficeret naturali circuitu. Quæ quidem opinio ab oriente, ut videtur, deducta, partim ex physicarum rerum contemplatione orta fuit, partim ex ipsâ numerorum ratione, qui ut circuli quidam in semet revolvuntur. Idem fere Pythagorei voluerunt, cum ex numeris et mathematicorum initiis constare dicunt omnia. Gentium vero ortus interitusque certis signis miraculisque ostendi sibi Etrusci putabant, sibi decem, Romanis duodecim assignari sæcula. Ea vox ab Aruspicibus audita jam in ipso Romæ excidio, cum occasum urbis appropinquare dicerent, animos hominum quasi veterum sacrorum memoriâ resuscitatâ prope metu consternavit.

Utinam in eo immorari liceret, quod vir ille summus qui solertiâ pœnè incredibili, propriisque viribus fidens, Romam Romanasque res ad lucem revocaverit, annum Romuleum haud dubiè ab Etruscis ductum putat,* quem utpote temporis metam accuratiorem, etsi non omni civili anno, certo tamen annorum numero, cum finito solis cursu convenire. Multa quoque in temporum nimis exactâ computatione notat, quæ Etruscorum subtilitati tribuenda sint. Fuerint ea licet per se ipsa exigua, magnarum tamen existimanda sunt vicissitudinum indicia.

Etenim si historia sileat, si ne nota quidem gentis usquam appareat, relliquiæ tamen urbium per se facilè evincunt, populum omnium clarissimum quasi in sepulchro delitere. Enimvero artium studia cum relligione et moribus habent quoddam commune vinculum: cum

* Nieb. Vol. i. 270.

artes a relligione foventur suscitanturque, hæc vero ab illis ornatur atque illustratur. Itaque varias reipublicæ mutationes, cultûs Etrusci, etiam philosophiæ atque mercaturæ vicissitudines ex monumentis licet explicare. Ut vero apud Græcos, sic etiam Etruriæ fuit tempus aliquod, quo ingenium gentis vires explicuerit, et quasi amotis vinculis cœperit luxuriare. Jam rudis illa et propè monstrosa hominis figura in spirantem effigiem mutata; lineamenta oris, compositio vultûs, habitus membrorum, adeo exquisitè efficta, ut cum Græcis etiam certarent monumentis. Vereor sanè ne a proposito fine videar deerrare, sed cum omnis ferè nostra de moribus Etruscorum notitia in relliquiis hisce contineatur, enitendum ut varias artium mutationes vel ab origine gentis accuratius evolvamus.

Quibus igitur modis in Deorum cultum artes adhibeantur, nemo ignorat, neque ulla gens est tam barbara, quæ non aliquam sanè Deorum figuram animo conceperit. Quæ quidem figura nihil aliud est quam humana, quam pro variâ gentis indole variatam, sive ad vim, sive ferocitatem exprimendam, sculptoris ars aut in perfectam hominis effigiem informaverit, aut deformitate quâdam in monstrum detorserit. Hinc omnes humanorum animorum affectus transferuntur in Deum; hinc boni malique similitudo; celestium infernorumque Deorum imagines in parietibus sculpuntur. Quis enim dubitaret animalium illorum portenta, in rerum naturâ explicandâ vim quandam habuisse et notionem? Quid vero hominum mentes ad Deorum reverentiam et metum potius impelleret quam magnifica illa templorum moles? in quibus non exquisita artis subtilitas, sed rudis quædam simplexque majestas esset admiranda. Mos ille fuit sacras ædes e saxo quadrato ædificandi, quæ primò

quidem solidæ et pœne informes, paullatim eleganti simplicitate Doricam venustatem æmulatæ sunt. Singula vero templa in tres cellas divisa sunt, quarum unam Jovi, alteram Junoni, tertiam dedicabant Minervæ. Antiqua sanè forma cum usu inveterata, tum relligione consecrata fuit, cum singulas templi partes vix dubium sit occultum quiddam significâsse. Nec igitur absimile est ut in mediâ, quam appellant, ætate, sic apud Tuscos omnem illam sculpturæ et architecturæ artem fuisse penes sacerdotes; cum vetera Etruscorum monumenta ejusmodi sint, quæ non tam vivido vegetoque liberæ gentis ingenio, sed artificio cuidam tribuenda sint et imitandi studio. Ita nusquam poesis satis liberas, ut in populari civitate, nacta vires, apud Etruscos floruit; quia relligio altè in mentibus defixa non imagines rerum captabat; at reverà hominum ingenium in mysteriis contemplandis sibi ipsi diffidebat.

Jam in ipsam *νεκύιαν* veniamus, mœnia Cyclopea, arcuata claustra, solidam et prope æternam molem animo proponamus.

Constituamus ante oculos imagines Lucumònum, longo ordine dispositas, quorum capita coronis aureis decorantur, manus arcum et sagittas tenent; busta marmorea et in templorum formam exstructa; omnia, quæ domicilium mortuorum, in quo dulcem animi capiant quietem, exprimant. Abhorret quippe longissimè ab Etruscorum relligione vana illa et illætabilis, quam in Odysseâ reperias, Umbrarum notio; nec fuit illud quasi corpus aut quasi sanguis, at solidum quiddam et verè humanum spirabat. * Hinc ritus funerei et exequiæ, illinc saltatorum erant gladiatorumque spectacula.

* Micali Tab. lxviii.

† Parte aliâ mulieres, veste scissâ, crinibus solutis ad morientium cubilia flentes orantesque intuemur; aliâ per vastos fœditate locos exilem umbram curru invectam, quem genii comitantur, alii benefici, candentes, alati Dii, alii tetro vultu securibusque armati; procul Erebi januam, portasque ferratas, tum ipsum Mantum, judicem Umbrarum, in solio sedentem, geniosque pro animâ deprecantes; contrà ‡ Maniam, capite velato, pallâque ad pedes diffluente, hospitem quasi dextrâ corripientem. At qualis illa parietum cælatura! qui colorum splendor! quæ frontis majestas! quanta affectuum vehementia! quam ad hæc omnia exprimenda mirè compositi vultus! Rursus barbarum quoddam et informe sculpendi genus, monstra immania, figuræ biformes, alisque convolutis instructæ; § Dii quoque ipsi modo serpentum, modo quadrupedum figuras visi induere, etiam animalia inter se repugnare, et quasi universa natura cum semet ipsâ reluctari. Plurima vero apud recentiores a Græcis desumpta notare licet, Centauros δενδροφορούς, Herculem leoninâ pelle succinctum, Satyrorum, Dryadum, Nereidum formas pæne innumerabiles; quæ si non veterum sacrorum exstinctionem, at certe depravationem indicant.

Recolentibus Etruscorum reliquias quæstio obversatur, quænam illa cum Græciâ consociatio, quæ in monumentis reperiatur. Ferebat fama Demaratum Corinthium cum Tarquinios veniret Euchira et Eugrammum secum tulisse picturæ scilicet et sculpturæ inventores. Alicui vero accuratius rem inspicienti, constat antiquiorem fuisse artis formam et a Græcâ alienissimam, cujus etiam in

† Micali Tab. lvi. xxx. lx. ‡ Micali Tab. xxii.
§ Micali Tab. xcviii.

recentioribus monumentis vestigia quædam deprehendenda sunt. Jam fibulas auratas, collum monilibus ornatum, vestem gemmis stellantem Indiæ potius notas dixeris, cum illa solida statuarum moles, densæ crines, membra informia ab Ægypto derivari videatur, sed tamen perspicuum est, recentiores Etruscos a Corintho multa mutuatos; mox urbibus magnæ Græciæ eversis fontem illum Græcarum literarum in Italiam redundâsse.

* Fuisse quidem Etruscos, ut singulari erga Deos reverentiâ, sic præcipuâ morum puritate satis per se ipsa artium monumenta declarant. Unde enim in vetustissimis operibus, quæ verè Etrusca sint, ne nota quidem licentiæ reperienda est? Quæ certè improbis calumniatorum vocibus opponenda sunt, qui pingues et luxuriosos Synhenos memorantes, non veterem Etruriæ populum, sed municipes Syllanos libidine et luxuriâ exhaustos perstringebant. Mirari libet nullam unquam ex peregrinis moribus corruptelam populum maritimum suscepisse, nec licentiam popularem vires nactam unquam in seditionem erupisse.

Quærendum igitur quæ forma civitatis super hoc tam præclaro relligionis fundamento imposita sit. Quod si Festo credimus, Etrusci eodem ferè quo Romani modo in tribus, curias, gentesque divisi erant, quem tamen suspicari licet, cum de Etruscis nihil omnino comperti haberet, a suorum institutis hæc eadem transtulisse. Singulis autem civitatibus annui præerant magistratus, qui quoniam continuato honore, plusquam annuis temporibus defungerentur, reges a Romanis appellati sunt. Illud certè constat penes paucos imperium fuisse, eosdem

* Nieb. vol. i. 139.

et sacerdotali munere functos et belli duces exstitisse. Verisimile est, cum popularis concilii ne mentio quidem occurrat, proceres a ceteris ordinibus penitus exclusos et separatos fuisse. Ea quidem ordinum separatio maximè vires Etruscorum disjunxit atque labefactavit, cum plebem nullam Romanæ similem plebi respublica haberet. Quo enim novâ civium municipumve multitudine affluente, Romanorum civitas latius patuit, eo angustius, decrescente, ut solet, optimatium numero, Etruscorum oligarchia definita est. Itaque in extremo illo cum Romanis certamine, vires gentis exhaustæ: mox uno alterove prælio debellatum est. Nihil illa feralis superstitio, nihil servitiorum imbellis multitudo, nihil universi populi cum Samnitibus conjuratio contra integras hostis vires et libertatem renascentem valebat.

Etenim societas ista, quæ duodecim inter se populos per tot sæcula colligavit, specie magis quam reipsâ stabilis existimanda est. Quæ quidem ejusmodi fuit, quæ apud Græcos 'Αμφικτιονία dicitur, non ad gentem commiscendam nata, verum ad domestica bella prohibenda et inimicitias placandas. Quæ enim discordiarum finis esset, si in rudi ferocique ævo vicinæ gentes, populabundæ magis quam justi more belli, æternis inter se simultatibus certarent? Singulæ igitur civitates, cum res domi forisque administrarent, bella gererent, magistratus crearent, nunquam tamen civili inter se odio exarserunt. Quæ sane populorum conjuratio, licet nunquam dissoluta, persæpe tamen quassata et immutata fuit: veteres civitates expulsæ, novæque in fœdus receptæ: quibus ad Voltumnæ fanum convenientibus e Lucumonibus creatus, quem lictores singuli suæ quisque civitatis, communiter in universos prædicarent regem.

Jam leges relligionis radicibus quibusdam inniti, etiam si nulla indicia supersint, civitatis tamen formam consideranti facilè credendum est. Hinc Termini cultus, hinc fetialium ceremoniæ, hinc omnis illa agrimensorum disciplina. Mite supplicium de debitoribus sumptum, quasi humanum esset magis clementer agere, quam accuratè jus postulare. Sic ipsa quoque urbis mœnia sacrosancta fingebant, ut patriam defendere nihil aliud esset quam pro Diis certare; unum illud defuit Etruscorum reipublicæ libera atque honesta plebs: nec ideo mirum, si universo Etruscorum populo debellando urbs una sufficeret. Fuit autem reverà, si gentes non locos spectares, Orientis cum Occidente certamen: hinc enim stabat pudor, illinc metus; hinc libertas, illinc dominatio paucorum; hinc crescentis populi vires, illinc effeta potestas suâque ipsius mole dissoluta. Ea demum fatalis ætas Etruscis revoluta est, cum neque optimates injustâ reipublicæ possessione cederent, nec plebs, satis firmas nacta vires, optimatium potestatem evertere, superbos reipublicæ dominos a seipsis conservare posset.

Quæ igitur illa cognatio quæ duos inter se populos adeo tenaciter vinctos tenuerit, quæ mores, quæ relligionem, quæ instituta Romanorum penitus infecerit, et in intimam societatem penetraverit. Satis quidem constat vel ab initio civitatis Romanos cum Etruscis aut fœdere inito, aut aliquo certè modo contineri. Jam in ipsis poetarum fabulis, Mezentius Etruriæ rex sive tyrannus fert arma Trojanis infesta, reliqua tamen duce Tarchonte multitudo, fida atque socialia. In quibus duplicem rerum famam notaveris; alteram quæ inimicitias Veientûm et propè continua bella adumbraret; alteram quæ veterem populorum societatem clarè exprimeret. Etenim ut res ipsas sic etiam nomina

rerum ab Etruscis Romani mutuati sunt. Cujusmodi sunt ea, quæ ad Haruspicum disciplinam pertineant: ceremonias, hariolos, histriones ab Etruriâ derivari ipsi quoque Romani testantur. Accedit eo quod sermo Latinus cum antiquissimâ Indiæ linguâ in multis propiorem quam Græcus habeat conjunctionem. Quæ quidem similitudo non speciosa tantum, sed radicitus linguæ insita atque infixa. Quæ tamen unde nisi ab Etrusco fonte in Romanos profluxerunt? Sed quum immensi esset operis sparsa linguæ fragmenta colligere, ad ea potius veniamus quæ historiæ monumentis commendata sunt. Licet enim illa de urbe condendâ fama in obscuro sit, tamen perspicuum est, cum Luceribus tertia pars data sit, quos a Lucumone quodam Etrusco nominari fingerent, etiam in hâc tantâ rerum vetustate Etruscis aliquid attributum. Luceres autem in monte Cœlio locari per se ipsum indicio est, Lucumonem illum Cœlium Vivennam fuisse quem in aliâ fabulâ Romuli socium atque amicum ferrent. Mirum sanè eundem Cœlium Vivennam cum Tarquinio aliquo modo implicari tum Luceres ipsos Tarquinium in senatum legisse. Nec igitur absimile si omnia Etruscorum vestigia a Tarquiniis illata errore quodam ad Romuli tempora primamque urbis originem rejecta sint.

Priscam illam Romanorum religionem a Numâ Sabino ortam esse, consensus omnium ætatum satis clarè ostendit. Quæ quidem gentis societas etiam in Tatio adumbrata, nihil aliud fortasse significet quam mores et instituta agrestium ab agresti gente derivari: postmodo artes et scientiam Etruscorum in novum adhuc populum viam invenisse. Traditur quidem A. U. C. 571 inventos Numæ libros, cum vetustate obsoleti essent, et ab hodierno usu maximè abhorrerent, jussu prætoris esse com-

bustos. Quæ tamen relligionis unde orta vicissitudo? Silent annales, omittunt omnes libri, cum in hâc tam incertâ rerum famâ, nihil fere certius sit, quam cultum mores et instituta civitatis universæ penitus ab Etruscis fuisse mutata? Jamdiu veteris religionis fautores imperio Etruscorum restitisse, vel ex Attii Nævii fabulâ constat, qui in regem Tarquinium invectus, cum numerum tantum tribuum inviolatum præstaret, ipsam litis causam in medio reliquit. Idem fere ex Etrusco bello colligendum quod a Tarquinio Prisco gestum Dionysius memoravit; qui tamen imperfectè et confusè tantum rem enarrat, cum victorem Tarquinium ad Romanos transferre velit. Tum primum ludorum Etruscorum mentio facta, histriones acciti; Capitolium exstructum, cloaca maxima excavata, opera in hâc tantâ ruinarum magnificentiâ posteris admirabilia futura. Sed cum in artibus et ædificiis pleraque Etruscorum vestigia reperiantur, tum multo majora in Deorum cultu et civitate instituendâ. Unde enim funerum mos aut a quibus magistratuum insignia? unde relligio aut ea quæ ad Lares pertinet, aut quæ in Haruspicum disciplinâ versatur? unde triplex illa ordinum ratio, nisi ab his qui, cum antiquissima orientis instituta integrè servâssent, ad Romanos incorrupta transtulerunt? Hinc numerum lictorum, hinc sellam curulem, togamque prætextam Livio quoque duci placet. Hinc etiam illa optimatium acerbitas, et relligio ad plebem coercendam usurpata: Servium autem Tullium, quem secundum a Romulo plebs conditorem ferebat, e Latinis, unde plebs ipsa esset, derivari liquido patet. Satis quidem constat popularem civitatis statum a Servio informatum ab Etruscis abrogatum fuisse; quæ vero seditiones in urbe sævierint, quanta fuerint aut patriciorum cum plebe, aut Latino-

rum cum Etruscis certamina, discerni nequit. Regem Etruscum urbem occupâsse, ope patriciorum plebem oppressisse, latè et in Etruscos et in Latinos imperium protulisse, vel ex iis quæ supersunt monumentis probe colligendum est; hunc cum procerum pariter ac plebis jura invasisset, postremo ab utrisque expulsum: mox omnem Tarquiniorum domum relegatam ad Etruscos et Latinos confugisse. Porsenna vero ipse, quem annalium scriptores amicitiâ junctum ferunt, teste Tacito, urbem oppugnavit. Hinc reverâ mos ille, qui ad Livianam usque ætatem manebat, bona Porsennæ regis vendendi: hinc solium a Romanis Etrusco more oblatum, hinc tribuum numerus ad viginti recisus, cum tertiam agri partem Romani Porsennæ cessissent. Et quidem fœdus cum Carthaginiensibus ictum, non solum universam Latii oram Romanos occupâsse, confirmat, verum etiam maritimo imperio potitos esse. Nihilne igitur Muciana profuit virtus, nihil Valeriorum fortitudo, quominus macula quædam Romanorum nomini inhæresceret, ab historicorum scilicet fraude diligenter occultanda? Verisimile est post Aricinam cladem, Etruscorum vim adeo fractam et debilitatam fuisse, ut Romani hoc ipsum tempus ad Etruscorum jugum excutiendum arriperent. Jam post Cremeræ excidium, perpetuis ferè contentionibus Romani cum Veientibus exercebantur: in quibus facile visu est, Veientes a reliquâ gente separari: nec nisi postea, captis Veiis, duodecim populos in Romanos conjurâsse. Verum in ipso Gallorum excidio antiquæ memoriam conjunctionis a Romanis et Etruscis servari, ex eo colligitur, quod Cæritibus, ut cognato populo, Deorum sacra librosque rituum in custodiam tradiderint.

Sed cum maximam relligionis partem ab Etruscis

Romani adhibuissent, vix dubium esset Decemvirorum leges ex hâc origine deduci. Quæ quidem penitus duos ordines separârunt, et Etrusco more, non gradu solum, sed genere toto distinxerunt, cum profanum esset admistione plebis Deorum ritus turbare, nec nisi magistratui majori auspicia concederentur. Etenim in vetere istâ Romanorum republicâ, flaminum sacerdotumque collegia non modo cum Patriciis arcte cohærebant, verum ipsi pœnè in tertium civitatis ordinem descripti sunt. Erat aliquando certè tempus, cum Deos cum hominibus versari, cum omina, cum portenta ostendi crederet simplex et agreste genus: necdum ea, quæ postea gentem occupavit, negligentia Deorum sæculum tenuerat. Post scientia cum usu obsoleta: manebant simulachra quædam auspiciorum, auspicia nullo modo: ipsi quoque, ut solet, in gente a Deorum cultu aversâ, pontifices elevabant. Ut vero ab Etruscis insita erant Romanæ civitatis, ac pœnè omnis societatis, fundamenta, sic ea, cum a posterorum levitate disjecta essent et Asiaticâ superstitione conspurcata, tota quasi reipublicæ fabrica, disjecto cardine, labefactata est. Jam populares Deos multos rejiciebant, unum reverà Deum, imperatorem ipsum cultu divino adorabant. Potuit primo quidem ejusmodi relligio ingravescentem imperii molem specie continere: paullatim ingruente luxuriâ, singulis membris ut in exanimi corpore, potius compositis quam colligatis, nulla fuit tanta vis quæ lacerum et dissolutum cadaver animaret, quæ aut externos hostium impetus profligaret aut fidei Christianæ resisteret. Unà artium monumenta, literarum vetustas, cum moribus, ut solet, depravata: mox relligio ista a tot sæculis exstincta, ab aliâ gente in aliam translata, funditus interiit.

Nec vero existimandum est ea adeo penitus omnia

demersa et dissipata fuisse, ut in Romæ excidio, et in barbarorum diluvio, ne nota quidem emineret. Non enim civitatum interitus, leges et instituta occident, verum alia ab aliis nexa æternâque serìe continuata sunt. Ut enim multa ab Etruriâ ad Romanos defluxisse putandum est, sic pleraque et juris civilis, et libertatis instituta a Romanis ad nostram quoque ætatem devenerunt. Quod si lingua Etrusca, quæ per tot sæcula, tanquam in mortuorum domicilio delituerit, iterum in lucem emergeret, quantos rerum aditus patefaceret, quæ miracula historiæ; quot gentes obrutas atque ignotas, quorum ne nomina quidem audivimus, ad vitam revocaret? Erit enim aliquando tempus illud, cum, ut strata terræ, sic hominum linguæ certis locis ætatibusque disponantur: ut genitæ, ut connexæ inter se, aliæque ab aliisque attritæ, arctius latiusve contineantur.

B. JOWETT.
SOC. COL. BALL.

LONDINI IN ÆDIBUS
CAROLI WHITTINGHAM